

contra censura, tanquam medicina ad salutem adhibetur, ut ea implicitus respiscat, ac satis pro delicto faciens ab ea absolvatur.

III. Jus ferendi Censuras potestati clavium adnexum esse, semper in Ecclesia creditum est. Quum autem antiquitus, ut alibi jam observavimus, rarè discrimen agnitionis fuerit inter forum internum, sive Pœnitentiale, et externum, sive Contentiosum; hinc jus ferendi censuras ita potestati clavium addictum habebatur, ut ordinariè intuitu Fori Pœnitentialis illæ infligerentur. Quamobrem *ibid.* Morinus: *Unde apud veteres, inquit, colligitur Censuras ad forum externum pertinere, non ad internum, sive Sacramentum Pœnitentiæ?* At postea latius inducto discrimine inter forum externum, et internum, distingui etiam cœpit inter potestatem Ordinis, et Jurisdictionis. Præterea quum receptum esset, Censuras esse veluti media quædam coactiva Ecclesiasticæ Potestatis, quæ propter contumaciam, et ad coercendos fideles rebelles infligantur, hinc potestas ferendi censuras ad eos tantummodo restricta est, qui jurisdictione ordinaria in foro exteriori sunt præditi.

IV. Ad ferendas igitur Censuras satis non est Potestas remittendi, et retinendi peccata in Tribunali Pœnitentiæ, sed requiritur, atque adeo satis est potestas jurisdictionis, etiam à potestate ordinis sejuncta, quam iudices Ecclesiastici exercent, licet non sint Sacerdotes, modo tamen sint prima clericali tonsura saltem initiati, atque iudicis munere legitimè fungantur.

V. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1. Pagani, judæi, ac etiam Catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *Quid enim, inquit Apostolus I. ad Corinth. V. v. 12. mihi de iis, qui foris sunt judicare?* In Hæreticos verò, Schismaticos, et Apostatas rectè Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem, ac obedientiam, à qua turpissimè defecerunt, redire inde incitentur.

VI. Neque 2. Censuris directè adfici possunt mortui, quippè qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *Quæcumque adligaveritis super terram, et non sub terra, ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus:* Leo M. Epist. XC. cap. 7. Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare. si ve exsecrari, atque adeo etiam indirectè excommunicare, dum fidelibus interdicit illum Ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso preces, suffragia, aut sacrificia offerre, cujus disciplinæ frequentia occurrunt exempla in veteri Ecclesiastica Historia. Sic in Cod. Afric. *Can. LXXXI.* adversus Episcopum, qui hæreticos, vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *Post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* (\*\*). Et Syn. Brac. I. Cap. XVI. *alias Can. XXXIII. Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat.* . . . *Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.* (\*)

VII. Neque 3. Mentecapti, Furiosi, Infantes Censuris illigari possunt; quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur: unde nihil ipsis causæ est, cur censuris plectantur.

VIII. Nemo 4. censura multari potest, qui subditus ei non sit, à quo illa inferatur. Jurisdictionem enim requirit, quæ in subditos dumtaxat legitimè exercetur. *Cap. 16. de Major. et obed. Cap. 21. de Sent. Excomm.*

## ARTICULUS I.

## DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

IX. Censura per absolutionem aufertur, quæ non nisi illam demisse potenti impartienda est, ne Ecclesiastica potestas in contemptum habeat. Ejusmodi autem absolutio potest non modo *pure*, ut ajunt, impendi, sed etiam *conditionate*: veluti *Absolve te, quum primum satisfeceris*: haud secus ac Censura ipsa conditionate infligi potest: *Cap. 40. de Adpellationibus.* Est etiam absolutio, quam vocant *ad cautelam*, quæ scilicet à Confessariis absolutioni sacramentali præmitti solet, quæque in Bullis, ac Litteris Pontificiis de stylo inseritur. At de hoc Capite ex professo Theologi Morales.

X. A Censura ab homine per sententiam particularem lata ille absolvit, qui eam infixit: (\*\*). Synod. Illiberit. *Can. LIII. Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, a quo absentis in crimine aliquo fuerit.* (\*) Et quidem Dominus par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit: *Cap. LI. de Pœnit. Dist. 1.* vel ejus Successor: *Can. III. V. XL. Caus. 11. Quest. III.* aut ejus Delegatus: *Cap. 20. de Offic. Ordin.* aut denique Superior, uti Metropolitæ: (\*\*). Syn. Tolet *XIII. Can. XII.* (\*) cui tamen servanda sunt, quæ Innocentius III. præscribit in *Cap. 8. ibid.* scilicet, ut neminem, qui apud ipsum de injuste ab Episcopo lata excommunicatione conqueratur, absolvat, nisi legitime, ac plene ipsi constiterit Episcopalis censuræ iniquitas: alioquin eum ad Episcopum absolvendum remittat, nisi periculum in mora esse videatur, vel Suffraganeus absolutionem satisfacere parato impendere velit. In quo sane veteris disciplinæ vestigia adparent, ex cujus præscripto qui se à proprio Episcopo inique censura innodatam crederet, in Concilio Provinciali se sistere debebat, suam querimoniam expositurus, ut ibi de Censuræ justitia, vel iniquitate iudicium ferri posset.

XI. Quod verò attinet ad Censuras latas à jure, vel ab homine per sententiam generalem, iis exceptis, quas sibi earundem auctor reservavit, ab ipsis poterit quis absolvi vel ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote: *Cap. 29. de Sent. Excomm.* Nomine proprii Sacerdotis venire Parochum, vel etiam quemcumque Sacerdotem ad excipiendas confessiones legitime adprobatum, quippè qui in hoc adimplendo munere Parochi vices subeat, docet Suarezius de Censuris *Disput. VII. Sect. 4. num. 9.* alique.

## CAPUT DECIMUM NONUS.

## DE CENSURIS ECCLESIASTICIS SPECIATIM.

I. Ac primo ut adpareat, quæ fuerit antiquitus Excommunicationis species, præ oculis omnino habenda vetus illa communionis ratio, qua in unum corpus Fideles coalescebant. Baptismo nimirum jus cuique quæsitum erat ad universa bonæ Ecclesiæ dispensationi commissa. Quot ergo bona Ecclesiæ, tot fidelium jura. Unde jus ad Eucharistiam, jus ad oblationem, jus ad preces, jus ad verbum Dei, jus ad conventum, jus ad osculum sanctum, ad convivium, ad colloquium deniquè infimum illum communionis gradum, quos quique fruebantur.



II. Quum ergo potestas Ecclesiæ relicta sit ejusmodi bona administrandi, iis vel in totum, vel ex parte privando, degeneres filios suos plectebat, sive excommunicabat: alios nempe à sola Eucharistia, alios etiam ab oblatione panis, et vini ad sacrificium, alios ab ipso sacrificii adpectu arcebat, alios quoque ab omni oratione, ab ipso divini verbi auditu, à limine ipso Sacri Conventus prohibebat, et quandoque ab osculo, convivio, et colloquio submovebat.

III. Igitur I. ab sola Eucharistiæ participatione aliquando arcebat: unde Basilius *Can. IV.* de trigamis sic decernit: *Oportet non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus, vel tribus annis: et postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, a Boni tamen communione abstinere.* Ejusdem quoque generis excommunicatio sancita occurrit à Patribus Illiberitanis in eos, qui nullis distenti curis, tres dominicâs ad Ecclesiam non accesserint: *Can. XXI.*

2. Ille semper in Ecclesia ex Christi præscripto *Matth. V. v. 23.* servatus Canon est, ut fratres dissidentes, pauperum oppressores, aliique hujus furfuris homines mûnera altari offerre vetarentur: Auctor *Const. Lib. IV. cap. 6.* Concil. Carthag. *IV. Can. XCIII. et XCIV. (\*\*)* Catholici, qui filios suos hæreticis baptizandos tradiderint: Concil. *Herd. Can. XIII.* et in universum omnes non communicantes: *Illiberit. Can. XXVIII. (\*)*

3. Nonnunquam ab ipso sacrificii adpectu repellebat. Theodoretus de quibusdam loquens, qui ex infirmitate potius, quam ex malitia peccaverant, eos non nisi ab Sacrificii adpectu, h. e. ab Missa fidelium repellere videtur, quum ipsis Missæ catechumenorum interesse permittat: *Arceantur a participatione sacrorum mysteriorum, a catechumenorum autem oratione non prohibeantur, neque a divinarum Scripturarum auditione:* *Epist. LXXVII. ad Eulaliam.*

4. Interdum ab omni prorsus oratione, atque etiam à precibus, quæ super catechumenos fundebantur, h. e. à Missa catechumenorum submovebat. Ex Auctore *Constitut. Lib. VIII. cap. 5.* habemus, ejusmodi excommunicationi obnoxios fuisse inter penitentes eos, qui apud Græcos apud Latinos *audientes* vocabantur. Ibi enim præcipitur, ut simul ac Episcopi sermo esset finitus, antequam ullæ preces inchoarentur, Diaconus de eminentiori loco in Ecclesia proclamet: *Ne quis audientium.*

5. Haud raro ab ipso divini verbi auditu, atque adeo ab ipso Sacri Conventus limine prohibebat. Sic Basilius *Canon. XXI.* *Oportet eos deflere ad fores Ecclesiæ.* Et *Greg. Thaumaturg. Can. XI.* *Fletus, seu luctus est extra portam Ecclesiæ, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur.*

6. Denique in fideles, qui enorme aliquod scelus perpetrassent, ea excommunicationis pœna animadvertēbat, qua ab omni prorsus communiōe alieni habebantur: qua de re eosdem omnes abhorrebant, nemo convivio, adloquio, atque adeo etiam adpectu dignos judicabat: Concilium Toletanum I. *Can. XV.* Conc. Aurelian. I. *Can. XIII. (\*\*)* et Tolet. II. *Can. III. (\*)*

IV. Atque hinc nata apud antiquos distinctio illa *Excommunicationis mortalis, et medicinalis:* altera nempe, qua quis perpetuo à Sacramentis, Sacris, totoque fraternitatis consortio separabatur, habendus ut Ethnicus, et Publicanus: altera, qua quis ad medicinam, donec resipisceret, vel penitentiae stadium percurreret, à fidelium conventu ad tempus arcebatur. Quare Augustinus in *Lib. I. Homiliarum Homil. ult. Nos vero,* inquit, *a communione prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis) sed ne*

*si aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. . . Cujusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinth. Epist. insinuassee intelligitur, quum quibusdam talibus commemoratis, Ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim: Scripsi vobis in Epistola non commisceri fornicariis &c. Quibus verbis satis ostendit non temere, aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: ut, si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius: ne perverse malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.*

V. Quotuplici verò vinculo communiō hæc inter fideles, et Episcopos etiam absentes adstringeretur satis constat inter Canonum peritos: nimirum I. Communicatione Litterarum Formatarum, quas etiam Communicatorias appellatas novimus. Unde Synodus Antiochena quum Paulum Samosatensem deposuisset, ac Domnum in ejus locum substituisset, hoc per litteras significavit Dionysio R. Pontifici, Maximo Alexandrino, ac omnibus deinde Provincieis: *Quod quidem, ait, idcirco vobis significavimus, ut et ad eum scribatis, et ab eo communicatorias litteras accipiatis: (\*\*)* et Tolet. I. *Can. XI.* qui quum excommunicandum decernat oppressorem pauperum, decernit etiam de hoc monendos esse alios Episcopos. (\*)

2. Admissione, et receptione advenientium in communione, et synaximi, ut fratrum; modo commendatitias sui Episcopali litteras perferrent. Unde *Can. Apost. XXXIII. Nemo peregrinorum Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis suscipitor litteris.* Et *Can. Antiochen. VII. Nullus peregrinorum sine pacificis, id est commendatitiis suscipiatur Epistolis: (\*\*)* cui consonat *Illiber. Can. LXVIII. (\*)*

3. Demum Præcipua Catholice communione Regula, ac veluti tessera, ad quam veluti ad lydiū lapidem, Catholici ab hæreticis, ac schismaticis distinguebantur, semper habita est Ecclesia Romana, Cathedra S. Petri, Rom. Pontifex, seu Petri successor jure divino unitatis centrum constitutus. Unde Hieronymus Ep. ad Damasum: *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior. . . Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri conjungitur, meus est.* Non vacat hic in explicanda hac R. Sedis prerogativa longius immorari, de qua nonnulla dedimus *Lib. I. Tit. IX.* plura dabimus in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

VI. Hinc exurgit I. aliquando Ecclesiæ sese mutuo excommunicasse. Dum enim Ecclesia, sive Episcopus in altera Ecclesia aliquid perversum, vel ad Canonum normam non exactum agi, vel doceri judicabat, cum illa Ecclesia per litteras formatas non communicabat. Hinc Epiphanius rejecit communione Joannis Episcopi Hierosolymitani, quum Origenis errores, et dogmata ipsum defendere nosset: *Ep. Epiphanius inter Hieronymianus LX.* et Marcion quum Romam veniens litteras commendatitias non deferret, in communione receptus non est: Epiphanius *Hæresi XLII.*

2. Aliquando fidelis ob periculum perversionis cum altero fidele communicare detrectabat: et quidem juxta Apostoli monitum II. ad Thessal. III. v. 6. et 14. *Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. . . Hunc notate, et ne commisceamini cum illo.*

3. Interdum etiam plebs universa eandem ob causam cum suo Pastore communione abrumpebat. Quod de plebe Cpolitana cum Nestorio, quum hic primum in publica synaxi hæresim suam promississet, scribit S. Cyrillus *Epist.*



XVIII. ad Celestinum. Quæ veluti potestate quum aliquando plebs abutetur, illud ipsi interdictum est à Conc. Cpolitano IV. *Can. XXX.*

4. Nonnunquam etiam Episcopi ipsi ultro se à communione Ecclesiæ suæ sejugebant, pœnitentiæ, vel humilitatis causa: quod de nonnullis Episcopis in Ariminensi Concilio Arianorum fraude deceptis testatur Hieronymus in *Dialogo contra Luciferianos.* (\*\*). Et Potamius Bracarenensis Episcopus sponte se ob lapsum carnis à communione sejunxit, et pœnitentiæ se addixit: Videsis Conc. Tollet, X. *Decr. pro Potam.* (\*)

5. Demum haud semel accidit, ut Episcopi communionem servarent non quidem immediatè, at mediatè. Sic exeunte sæculo IV. Meletius, et Paullinus, eorumque fautores, licet ob controversiam, num una in divinis, an tres agnoscendæ essent hypostases, invicem non communicarent, utrique verò cum Episcopis communicabant, qui neutrius partis sententiæ adhæserant Ecclesiæ definitionem expectantes.

VII. Illud hic omnino observandum ejusmodi hactenus explicatas excommunicationes non fuisse veri nominis Ecclesiasticas Censuras, quæ potestatem clavium requirerent, et non nisi in subditos infligi possent, sed potius à communione separationes. Neque enim Epiphanius in Joannem Hierosolymitanum censura uti poterat, neque plebi ulla clavium potestas convenit, quam in suum Pastorem possit administrare.

#### ARTICULUS I.

##### DE EXCOMMUNICATIONE MINORE.

VIII. Non eadem videtur fuisse secutis temporibus, quæ olim fuerat, minoris excommunicationis notio. Hoc enim vocabulum illi Ecclesiasticæ Censuræ indicandæ addictum est, qua quis participatione dumtaxat Sacramentorum, et passivæ electionis ad beneficia jurè privatur: quæque ab eo contrahitur, qui cum excommunicato vitando contra Ecclesiæ præceptum communicat.

#### ARTICULUS II.

##### DE EXCOMMUNICATIONE MAJORE.

IX. Excommunicatio Major semper in Ecclesia audit, tanquam omnium Censurarum maxima, ac pœna, qua nulla atrocior in facinorosos fideles infligi possit, quippe quæ anathema sit, h. e. æternæ mortis damnatio: Conc. Meld. *Can. XXXVI.* Quisnam profecto oppido grave, ac formidandum, quam quod maxime malum non dixerit, extra Sanctorum communionem esse, Dei O. M. spirituali æque gratia, ac protectione destitui, Christi meritis, Ecclesiæ suffragiis, Sacramentorum usu privari, uno verbo, tanquam putridum membrum de mystico Christi Corpore resecari?

X. Igitur excommunicatus è fidelium albo expunctus, habendus est tanquam ethnicus, et publicanus, uti Christus ipse jussit, quum ejusmodi potestatem Ecclesiæ impertivit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus.* Ex quo multiplices exoriuntur Excommunicationis effectus.

1. Privatatur excommunicatus quocunque munere celebrandi divina Officia, iisdemque interesse vetatur. Nominè divinatorum Officiorum omnes sacras functiones,

quæ publice in Ecclesia peraguntur, intelligas, uti Missarum celebratio, Horæ canonicæ, publicæ Preces &c.

2. Nullum Excommunicatus fructum cum fidelibus participat ex omnibus suffragiis, sacrificiis, et orationibus, quæ nomine Ecclesiæ offeruntur. Verùm privatim orationes pro excommunicato Deo fundere nemo vetatur, quum hoc non sit communicatio, sed dumtaxat misericordiæ spiritualis officium: S. Thomas in *IV. Sent. Dist. XVIII. Quæst. I. Artic. 4. quæstionc. 1.*

3. Excommunicatus in loco sacro prorsus sepeliendus non est, omnique ecclesiastico honore, qui in fidelium exsequiis adhibetur, omninò privandus: *Cap. 12 de Sepulturis.*

4. Omni etiam ecclesiasticæ jurisdictionis usu destituitur, adeo ut quæ excommunicatus, ecclesiasticam exercens jurisdictionem peregerit, irrita omninò censeatur, nec subditis ipsi parendum sit: *Can. XXXVII. Caus. 24. Quæst. II. Cap. 24. de Sent. et re judic.*

5. Inhabilis quoque est ad quodcunque ecclesiasticum beneficium consequendum, sive per electionem, vel præsentationem, sive per commutationem, vel resignationem. Unde excommunicatus beneficium fraude recipiens ad illud dimittendum, fructusque indè perceptos restituendum adigitur: *Cap. 7. de Cleric. excom. depos. &c.*

6. Fructibus quoque beneficiorum, quæ ante excommunicationem jam fuerat adeptus, à die, qua in excommunicationem incidit, participare vetatur: *Cap. 53. §. Verùm de Adpellat.*

7. Postremò omnis civilis, sive politica cum reliquis fidelibus communicatio excommunicato est interdicta. Hoc quidem non videtur Christus præscripsisse: jussit enim Ecclesiæ dicto non audientem habendum esse tanquam ethnicum, et publicanum: atqui ethnici, et publicanis non vetatur fideles in politicis communicare. Verùm apostoli satis experientia compertum habentes, corrumpere bonos mores colloquia prava, ne fideles contagiosa errorum, vitiorumve lue inficerentur, sanxerunt excommunicato ab civili etiam fidelium congressu, et communione abstinendum esse. Unde S. Jo. Ep. II. v. 10. *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis.* Qua de re hanc praxim non esse juri divino adscribendam censet Jo. Driedo de *Libert. Eccles. c. 14.* Et Christianus Lupus *Tom. V. Schol. pag. 1312.* sic loquitur: *Omnis hæc res non est dogmatis, sed disciplinæ: ideoque per Ecclesiam potest ex causis disponi varie, atque mutari.*

XI. Atque hinc ex recentiori Ecclesiæ disciplina non omnes prorsus excommunicatione majori obstricti fidelibus vitandi sunt, sed ii tantummodo, in, vel contra quos sententia, vel censura fuerit a Judice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse: ita Martinus V. in Extravag. *Ad evitanda;* qui et *ibid.* subnectit: *Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum in sententiam latam a Canone adeo notorie constituerit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas sanctiones.* Ex hac Martini V. Constitutione inductum discrimen inter excommunicatum vitandum, et toleratum; atque cum illo æque in divinis, ac in humanis communicare est prorsus fidelibus interdictum; ab hujus vero communione in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra nemo abstinere tenetur, ut *ibid.* loquitur Martinus V. Adhæc licet ex eadem Constitutione,



ut quis sit excommunicatus vitandus, videatur satis esse, ut sententia à Judice, vel contra personam sit publicata, vel denunciata specialiter, et expressè; attamen utrumque requiri, scilicet ut à Judice sit lata, et personæ speciatim denunciata, censent superioris subselli Canonistæ, et Theologi, quorum sententiam probabiliorum, et in praxi sequendam docet Suarezius de Censuris Disp. IX. Sect. II. n. 5. *Quia consuetudo, inquit, quæ est optima legum interpret, ita legem illam acceptavit, et interpretata est. Et præterea quia id est maxime consentaneum fini illius legis, scilicet Ad evitanda scandala... Quæ duo verba non ponuntur disjunctive, tanquam diversa, sed tanquam equipollentia, nisi quod participium publicata proprie refertur ad censuram, vel sententiam: denunciata vero ad personam.*

XII. Neque tamen omnes generatim cum excommunicato vitando in civilibus communicare vetantur; excipiuntur enim uxor, liberi, servi, ancillæ, creditores, qui ignoranter cum iisdem versantur, qui necessitate adiguntur comparandi sibi auxilium, consilium, perfugium, aut victui necessaria, qui eundem adloquuntur, ut ad meliorem frugem reducant: at de his fusius Theologi Morales.

XIII. Omnis Censura, quippe quæ gravis pœna, infligenda non est, nisi ob culpam gravem, externam, completam, et contra præceptum Ecclesiæ contumaciter admissam. Pœna enim culpæ respondeat oportet. Ecclesia non judicat de internis. Pœna generatim lege comminata completam legis ejusdem transgressionem spectat. Ac demum ex Christi verbis is, tanquam ethnicus, et publicanus habendus est, qui Ecclesiam non audierit. Verùm hæc cum in reliquis, tum vel maximè in excommunicationis censura potissimum servanda sunt. Quum enim excommunicatio, uti modò vidimus, gravissima pœna sit, profecto mortale requirit delictum, illudque enorme. Unde Conc. Meld. Can. XXXVI. *Anathema est, æternæ mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine.* Et Conc. Trident. Sess. XXV. Ref. cap. 3. præcipit *Excommunicationes, . . . a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur; et tunc non alias quam ex re non vulgari, caussaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat.* Et quamvis hic Patres Trident. de iis excommunicationibus loquantur, quæ ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu substractis rebus ferri solent; attamen sat indicant suam ipsorum sententiam fuisse, excommunicationem non infligendam nisi propter peccata mortalia, eaque graviora, præsertim quum Synodi Provinciales deinceps habitæ decretum Tridentinum ita sint interpretatæ. Speciminis loco sit I. Syn. Prov. Neap. Cap. 39. *Quoniam Ecclesia Catholica Ecclesiasticas censuras non ad animarum interitum, sed ad medicinam adinvenit, et exercet: ideo advertant diligenter Episcopi, ut Episcopali gladio, præterquam in gravissimis delictis, caussisque non utantur: neque pro minima quaque re sint ad excommunicationis, vel suspensionis pœnas infligendas faciles, atque proclives; sed, ut sacra Trident. Synod. optime docuit, sobrie, et magna circumspectione, atque ad animarum salutem anathematis micronem exercent.* (\*\*). Item Collect. Tarracon. Lib. V. Tit. XVII. *de Sent. Excomm.* cap. 44. *Quum in Ecclesia Dei non sit major pœna, excommunicationis sententia, caveant Ordinarii, et alii quibus competit, ne illam passim proferrant . . . ne tam gravis pœna pro levibus delictis prolata, in dies villescat.* Consonat Tolet. ann. 1582. *Act. III. Decr. 4. (\*)*

XIV. Præterea Excommunicatio infligenda non est, nisi canonica monitione præmissa: *Cap. 48. de Sent. Excomm. Cap. 3. et 5. eod. in VI. Conc. Lugdun. Cap. 9. ibid.* Id tamen de Censuris ferendæ sententiæ intelligas. Quod enim ad

Censuras latæ sententiæ attinet, quæ scilicet ipso facto, sive ipsa vetiti actus perpetratione per legem ipsam inferuntur, quum ulterior Judicis sententia non requiratur, ac lex ipsa continenter moneat, neque necessariò specialis requiritur monitio. Si tamen ad sententiam declaratoriam excommunicationis, ut ajunt, *incursæ* deveniendum sit, præmittendam monitionem ipsa praxis satis docet.

XV. Verùm quodnam apud veteres censuræ ferendæ, et latæ sententiæ discrimen fuerit, pluribus esset explicandum, quod libelli moles exerescens jam ultra non patitur. Putat sanè Gersonius, non alia ratione inter utramque distinctum, quam quod in certis quibusdam delictis Canones certam pœnæ mensuram definièrint, nullo judici relicto arbitrio; adeò ut in ea infligenda veluti merus fuerit executor: in aliis verò judicium liberum in metienda pœna reliquerint, in quo et æquitas, et prudentia judicis post sufficientem discussionem requireretur. Verùm diligentius erit id nobis expendendum in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

XVI. Præter mortale peccatum, illudque enorme, gravis quoque requiritur causa, ut excommunicationis sententia legitimè simul, et prudenter infligatur. Neque enim, nisi ubi vulnere medela frustra aliunde petita sit, spiritualis excommunicationis gladius est adhibendus. Ad rem S. Ambrosius Lib. I. *Offic. cap. 27. Cum dolore enim amputatur etiam quæ putruit pars corporis, et diu tractatur, si possit sanari medicamentis; si non possit tunc a medico bono abscinditur. Sic Episcopi adfectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentina inferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* Eadem habet S. Leo M. *Epist. 95.*

XVII. Hinc 1. in Universitatem, vel Collegium excommunicationis sententia proferenda non est, quum nonnumquam contingat *innocuos hujusmodi sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit: Concil. Lugdun. in Cap. 5. §. ult. de Sent. Excomm. in VI.*

2. Ubi universa quædam multitudo deliquerit, licet crimen sit enorme, plerumque tamen satius est ab vibrando excommunicationis gladio abstinere. Episcopis cavendum quam quod maximè, ne per excommunicationem eradicando zizania, eradicient simul et triticum, pluribus demonstrat Augustinus *Lib. III. contra Parmenianum cap. 2.*

3. Ubi gravia, ac publica timeantur mala, ab distringendo anathematis mucrone aliquantum temperare omnis œconomix ratio postulare videtur. Ad rem S. Augustinus *ibid. Quum anathematis quis dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est. . . . Quando ita cujusque crimen notum est, et omnibus execrabile adparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplina.* Unde Constantium, et Valentem Arianos, Arianorumque fautores, et Catholicis infestos publico judicio anathematizandos, et ingressu Ecclesiæ privandos nunquam censuerunt veteres illi SS. Ecclesiæ Episcopi, quod indè gravia in Ecclesiam mala imminere perspexerant.

4. In caussis judicialibus æquè civilibus, ac criminalibus, ubi executio realis, vel personalis haberi potest, tam in procedendo, quam in definiendo ab censuris Ecclesiasticis abstinendum præscribit Synod. Trident. *ibid.* et I. Synod. Prov. Neap. *ibid.*

XVIII. Igitur in infligendis Censuris prudentia quanta maxima opus est, atque Episcopis omnia prius juris, prudentiæ, et charitatis remedia adhibenda sunt, quam ad excommunicationis gladium distringendum deveniant. Ubi verò id ipsis expedire videatur, invictos se præbeant, neque ullam reformident potestatem,



Unde S. Leo indic. Ep. 95. *Nulli Christianorum, inquit, facile communio denegetur, nec ad indignantis hoc fiat arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem Invictus, et Dolens quodammodo debet inferre animus.*

XIX. Quod tandem ad ritus attinet in ferenda excommunicatione servandos, profectò antiquitàs satis habebatur, ut diligenti peracto examine, et canonica monitione præmissa Episcopus sententiam proferret, cujus nonnunquam per litteras Encyclicas reliquæ Provinciæ Ecclesiæ, atque etiam aliquando omnes orbis Christiani præcipuè certiores fiebant: Conc. Tolet. I. *Can. XI. Socrates Lib. I. cap. 6.* et quidem ob antiquissimum semper in Ecclesia servatum Canonem, ut qui in una quadam Ecclesia esset excommunicatus, pro excommunicato in omnibus Ecclesiis haberetur. Verùm secutis temporibus, et quidem sæculo IX. exeunte, vel ineunte X. mos in Ecclesiam invecus est, ut in infligendo anathemate peculiare quidam ritus, ac cæremoniæ servarentur, quæ prostant in Pontificali Romano *Tit. de Ordine excommunicandi*; inter quas præcipua illa, nimirum, ut Episcopus assistentibus sibi duodecim Presbyteris anathema proferat, umbra quædam est veteris disciplinæ, ex cujus præscripto, uti haud semel observavimus, graviora diœceseos negotia, nonnisi de Cleri sui consilio, Episcopo erant finienda. Uti quoque veterem disciplinam, quam nuper indicavimus, redolet quod *ibid.* præscribitur, scilicet, ut prolato anathemate *Epistola presbyteris per Parochias, et etiam vicinis Episcopis mittatur, continens nomen excommunicati, et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet.*

### ARTICULUS III.

XX. Interdictum est Censura, qua Sacramentorum dispensatio, publica divinorum Officiorum celebratio, et sepulturæ ecclesiasticæ usus interdicuntur: estque vel locale, si regnum, civitas, et ecclesia subicitur Interdicto, vel personale si immediate ad personam dirigitur, vel demum mixtum, si ad locum simul, et personas directum est, ut hæc nec alibi possint divinis Officiis interesse: *Cap. 16. de Sent. Excomm. in VI.* Adhæc Interdictum sive locale, sive personale vel generale est, vel particulare. Illud est, quod in plures personas communitatem, vel collegium constituentes fertur, vel in provinciam, civitatem, diœcesim, quarum singulis plura loca sacra clauduntur; hoc verò est, quod vel ad unum, pluresve privatos homines spectat, vel ad unum quemdam locum sacrum.

XXI. Interdicti etiam Localis, ac Generalis haud levia in veteri Ecclesiastica Historia vestigia occurrere eruditi observant Canonistæ; præcipuè verò apud Gregor. Turon. *Lib. VIII. Hist. Franc. cap. 3.* ubi narrat Leodovaldum Episcopum ob necem S. Prætextati Episcopo Rothomagensi in ipsa sua Ecclesia illatam *Epistolas per omnes Sacerdotes direxisse, et accepto consilio Ecclesias Rothomagensis clausit, ut in his populus solemnina divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris.* (\*\*). Et in Conc. Tolet. XIII. *Can. VII.* ubi reprehenduntur quidam Sacerdotes, eo quod privati odii desperatione permoti, altaria denudarent, luminaria Ecclesiæ extinguerent, et divina Officia interdicerent. (\*) Verùm iidem illi Canonistæ censent oppido rara ejusmodi antiquitàs fuisse exempla; atque nonnisi X. vel XI. sæculo Interdicti generalis usum primum frequentari cœpisse. Unde Ivo Carnotensis *Ep. 94.* Interdictum generale vocat *Remedium insolitum.*

XXII. Primus interdicti effectus est, quo interdicuntur celebrari divina, scilicet Missæ, Horæ canonicæ, publicæ Ecclesiæ preces, atque etiam nuptiarum benedictiones: permittitur tamen publica in Ecclesia concio: *Cap. 43. de Sent. Excomm.* Et Gregorius IX. *Cap. 57. ibid. permittit Ecclesiæ ministris semel in hebdomada, tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis claussis, excommunicatis, et interdictis exclusis, Missarum solemnina celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in penitentia non negatur.* Tum iisdem his adjectis conditionibus Bonifacius VIII. in *Cap. Alma mater ibid. in VI.* jussit singulis diebus in Ecclesiis, et Monasteriis Missas celebrari, et alia divina Officia peragi, ut prius. Verùm in Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et Assumptionis B. V. (quibus Festum etiam Corporis D. ejusque Octavam Martinus V. addidit, (\*\*)) et pro Hispania Festum Conceptionis ejusd. B. M. V. à Leone X. additum esse creditur (\*) permisit Officia divina solemniter celebrari, alta voce, januis apertis, pulsatisque campanis, exclusis excommunicatis, et admissis interdictis, modò qui causam interdicto dederunt, ad altare non accedant. (\*\*). Adhæc et in Hispania ex Bulla *S. Cruciatæ* concessum est, ut Interdicti tempore Presbyteri possint Missam, et divina Officia celebrare, tam in Oratoriis privatis, quam in reliquis Ecclesiis, una etiam hora ante Auroram, et altera post meridiem, excepto Paschatis die; laicisque permissum eis assistere, Sacram Eucharistiam sumere, et in loco sacro sepeliri, modò causam Interdicto non dederint, nec excommunicati adesse permittantur. (\*)

XXIII. Alter Interdicti effectus est prohibitio receptionis, et administrationis Sacramentorum. At verò excipe Baptismum, Confirmationem, et Pœnitentiam, quæ quibuscunque, etiam sanis, semper ac petierint, conferri possunt: haud verò excommunicatis, speciatim interdictis, iisque, qui ad perpetrandum delictum, quod interdicto punitum est, operam, consilium, favorem, aliudve contulerunt, nisi prius vel de delicto satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem dederint: *indic. Cap. Alma mater. Eucharistiam quoque iis, qui in probabili mortis articulo sunt, deferre fas est: Cap. 11. de Pœnit. et remiss.*

XXIV. Tertius denique Interdicti effectus est prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ denegatur omnibus etiam parvulis. Non prohibentur tamen ii, qui nec speciatim interdicti sunt, nec Interdicto causam dederunt, in loco non interdicto humari: atque adeo ejusdem conditionis Clerici in loco etiam interdicto recte sepeliuntur, nulla tamen adhibita solemnitate: *eod. Cap. 11.*

XXV. Violantes Interdictum gravis peccati labè se inquinant, quippè qui in præceptum Ecclesiæ graviter impingunt. Tum Clericus, qui Interdictum violat, actum ordinis proprium exercens, in irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quam per Rom. Pontificem, liberari. Adhæc qui interdictos in loco sacro sepelire audent, excommunicationem contrahunt, cujus absolutionem Episcopo reservat *Clement. I. de Sepulturis.* Uti quoque excommunicantur Religiosi, etiam exempti, Interdictum generale locale à Papa, vel ab Ordinario inflictum non servant: *Clement. I. de Sent. Excomm.*

### ARTICULUS IV.

#### DE CESSATIONE A DIVINIS.

XXVI. Cessatio à divinis est Ecclesiastica sanctio, qua Clerici vetantur divina peragere Officia, ac Sacramenta administrare in aliqua peculiari Ecclesia, ubi



enorme aliquod crimen fuit admissum: et quidem ut salutaris populo terror, criminisque horror incutiatur. Non est tamen censura, quum non sit pœna medicinalis, sed potius gravis ab Ecclesiâ concepti doloris indicium. Unde ejus violatio, licet gravis culpa sit, non tamen Irregularitatem inducit: *Cap. 18. de Sent. Excomm. in VI.* Verum Regulares eam violantes excommunicantur: *Clement. I. de Sent. Excomm.*

## ARTICULUS V.

## DE SUSPENSIONE.

XXVII. Suspensionis vocabulo, quod largiori quadam notione veteres Patres usurparunt, hic utimur ad significandum illud Censuræ genus, quo Clericis ob proprium delictum interdicitur usus Ecclesiasticæ potestatis, et jurisdictionis. Atque hinc patet discrimen inter reliquas Censuras, et Suspensionem; illæ enim in omnes fideles infligi possunt, hæc verò in solos Clericos.

XXVIII. Jam verò triplex agnoscitur Suspensionis species, nimirum ab Officio, à Beneficio, et ab utroque. Porro hæc in re quidam Canones statuendi sunt. 1. Generatim Suspensus censetur suspensus simul ab Officio, et Beneficio: (\*\*)

argum. *Cap. 59. de Sent. Excomm. Clement. I. §. 1. de Privileg. Extravag. Divina eod. inter comm. (\*)*

2. Suspensus à Beneficio non censetur simul suspensus ab Officio: *Cap. 7. §. 3. et Cap. 44. de Elect.* odiosa enim, ut ajunt, strictam requirunt interpretationem.

Uti 3. Suspensus ab Officio non censetur suspensus à Beneficio; alias enim frustra in jure infligerentur suspensiones modo ab Officio, et modo à Beneficio: (\*\*)

*Cap. 3. de Usuris, et 2. de Offic. et potest. Judic. Deleg. in VI. (\*)*

4. Suspensus generatim ab Officio, censetur suspensus ab omni Officio æque Ordinis, ac Jurisdictionis; unde nefas erit ipsi Beneficium conferri, cui semper Officium, ceu comes, adnexum sit oportet: *Cap. fin. de Rescriptis in VI.*

Quinimò 5. privandus etiam est Beneficio antea adepto is, in quem ob enorme aliquod crimen suspensio perpetuo duratura inflictâ sit, argumento deducto ex *Cap. 8. de Purgat. Canon.*

6. Potest tamen quis ab exercitio vel solius Ordinis suspendi, atque adeo etiam ab aliquo peculiari actu Ordinis, vel Jurisdictionis; quo casu dicitur Suspensio partialis, ultra propriam verborum significationem, quibus prolata est, neutiquam extendenda: (\*\*)

*Cap. 2. de Cler. excommunic. depos. &c. Cap. 29. de Præbend. et Dignit. (\*)*

7. Suspensio ab Officio non privat iis, quæ sunt communia laicis; unde suspensus ab Officio, licet generatim, non vetatur interesse choro, Sacerdoti sacrificium celebranti ministrare, mortuos sepelire, aliaque id genus peragere, quæ etiam à laicis exerceri permittuntur. Verum hujusmodi Clerico in choro more laicorum canenti non videntur distributiones præbendæ, quæ Clericis ex Officio canentibus conferuntur.

XXIX. Discrimen inter Suspensionem ab Officio, et Suspensionem à Beneficio olim ignotum fuisse, res est quam testatissima. Et sane, ut alibi jam observavimus, bonis Ecclesiæ in titulos, sive in beneficia non adhuc erectis, jus percipiendi fructus ex redditibus Ecclesiasticis Ordinis exercitio adeo erat adnexum, ut suspensio ab Ordine suspensionem à jure participandi ex bonis Ecclesiæ comitem nunquam non haberet. (\*\*)

Hinc est, quod licet frequens in Conciliis nostris de Suspensionem occurrat mentio, eam tamen semper ab Officio, nusquam verò à Be-

neficio inflictam invenies, ut in *Syn. Bracar. III. Can. 1. Tolet. XIII. Can. XI.* aliisque sexcentis. (\*) Verum jure Decretalium, ejusmodi discrimine inducto, suspensus à beneficio non nisi ejusdem fructibus ac temporali administratione privatur. Ceterum neque amittit jus eligendi, sive præsentandi, quod ipsi fortasse intuitu Beneficii conveniat, neque redditur inhabilis ad aliud consequendum Beneficium. At verò generatim à Beneficio suspensus censetur suspensus ab omni Beneficio, nisi aliunde constet aliam fuisse ferentis censuram voluntatem: (\*\*)

*Cap. 8. de Ætat. et qualit. et ordin. præfic. (\*)*

XXX. Suspensio à Praelato, non nisi in suos subditos, licet in aliena diœcesi, ac territorio existentes, infligi potest: argum. *Cap. 21. de Sent. Excomm.* tum suspensus ab uno Episcopo, tanquam suspensus ab omnibus Episcopis habendus est, donec legitime à proprio Episcopo absolvatur. Demum Suspensio in scriptis ferenda est: et quidem expressa causa ob quam lata est: *Cap. 1. de Sent. Excomm. in VI.* Quod tamèn de Suspensionibus ferendæ sententiæ intelligas; secus enim se res habet in Suspensionibus latæ sententiæ; cujusmodi plures in jure nostro occurrunt, ac præcipuè in *Conc. Trident. Sess. XXIII. Ref. cap. 8. et 10.* in quibus, uti supra de excommunicatione latæ sententiæ monuimus, lex ipsa judicis instar est.

XXXI. Suspensio, quæ infligatur vel nullo determinato tempore constituto, vel etiam perpetuo duratura, nunquam est sine ulla veniæ, ac restitutionis spe: in quo à Depositione distinguitur, quæ perpetuam, ac sine ulla spe veniæ exercitii, ac usus Ordinum privationem significat. Adhæc Suspensio, licet perpetua, non privat tamen ipso jure Beneficio, quod Clericus petita venia legitimè retinebit: at Depositi Clericum Beneficio, ita privat, ut titulum auferat, novaque indigeat collatione, ut illud de integro consequatur. Verum Clericus suspensus, licet non privetur absolute uti Beneficio, ita et Ordine; si tamen durante suspensione aliquo Ordinis munere defungatur, in Irregularitatem incurrit: *Cap. 1. de Sent. et re judic. in VI.* et supra *Lib. 1. Tit. XXX.* observavimus. Quod tamen de Clericis inferioribus haud intelligendum nonnulli censent, qua Theologi, qua Canonistæ apud Fagnanum in *Cap. Si quis Presbyter de Cler. excomm. ministr.* quum scilicet munia iisdem Ordinibus addicta sine ullo respectu ad Ordines obeant, æque ac ex usu jam inuito eadem ab laicis exercentur.